

LIBER VI.

CAPVT I.

Vitia interpunctionum

Superioribus libris quaedam exposuimus interpunctionum uitia, quibus haec quae sequuntur, addi uolumus. In *l. 46. D. de furt.* sic oratio diuidenda est: *nec enim dissimilis est morti manumissio, quod ad subtrahendum domino seruum. Apparet itaque, cet.* et ita Graeci: *ἔδεν γὰρ ἀπέοικε τῆ θανάτῃ τῆ δόλῃ τὸ ἐλευθερωθῆναι αὐτὸν, ὅσον ἦκεν εἰς τὸ ἀφαιρεθῆναι τῆ δεσπότῃ αὐτῆ τὸν οἰκέτην ἀποδέδεικται τοίνυν, cet.* In *l. 1. D. si is, qui testam. lib. ess. iuss. er.* sicilici male positi uitium est illo loco: *sed ubi libertas competit, continuo dicendum est, quem sic restituo: sed ubi libertas competit continuo, dicendum est, cet.* ut Graeci: *ὅπου γὰρ ἐλευθερία ἀεμόζει περαχρῆμα τῆς ἀδιτιόνῃ, τότε λέγομεν, cet.* In *lege ultima* ait: *cito*, et in *§. 6. l. 1: modicum interuallum*: quod Graeci interpretantur duorum, uel trium dierum, fortasse an pari felicitate, qua et in tractatu de ui ulciscenda, *μετὰ διαρίαν*, quod est ex interuallo, accipiunt pro *μετὰ δωρίαν*. Idem uero in interpunctione uitium est in *l. penult. D. si famil. furt. feciss. dicat.* quod sic emendo: *quod ille praestiterit, non totius familiae nomine ab hoc socio partem consequatur.* Loquitur de sciente, quem negat totius familiae nomine partem a socio ignorante consequi

CAPVT II.

Furum uaria genera, et M. CICERONIS *ad Atticum* locus emendatus

Furum uaria sunt genera. Alii improbiores siue atrociores, qui raptores dicuntur, et crimen publicum admittunt, *l. 2. §. 1. D. de ui bonor. raptor.* *Improbiores* fures IULIANVS appellauit, *atrociores* VLPIANVS in *l. 1. D. de effractor. et expilator.* utraque appellatione promiscue utimur. Expilatores VLPIANVS atrociores; imperatores improbiores in *l. 12. C. ex quib. causs. infam. irrogat.* alii sunt fures non adeo improbiores, qui non admittunt crimen publicum. Hi clam delinquent, illi palam. Hi subripiunt, illi rapiunt. Et hi uero, et illi, aut manifesti sunt, aut nec manifesti. Illi si nec manifesti sint, et praetoria, propriaque actione tenentur, ui bonorum raptorum in quadruplum, et ciuili communique furti nec manifesti in duplum *l. 1. D. eod. l. 5 2. §. ult. D. de furt.* si sint manifesti, praetoriis actionibus tenentur ui bonorum raptorum et furti manifesti, quarum utraque est in quadruplum, sed una mista, altera mera, una annua, altera perpetua, *l. 80. §. 3. D. eod.* Tenentur et conditione furtiua utrique, *l. 10. D. de condict. furtiu. l. 2. §. penult. D. de ui bonor. raptor.* Non semper tamen raptor omnis fur est, ut is, cuius dolo raptum fuerit, raptor est, sicut et is, cuius ope, consilio, furtum factum fuerit, fur est, eoque nomine tenetur in duplum, *l. ult. C. de noxal. action.* At ille fur non est, *d. §. 3.* Sed et tam ille raptor, quam hic fur dicitur minus proprie: cum in furto rapinae sit omnimodo contrectatio necessaria, quod et furis a ferendo, et raptoris nomina per se indicant satis. Tagacis item a tangendo, quo ueteres usi sunt, id est, furunculi,